ANHANG

zu Seite 43.

Pellikans Gespräch mit Capito über das h. Abendmahl im Jahre 1512.

(Aus der oratio historica des Joh. Fabricius, D. 3 ff.)

Libet hoc loco commemorare, propter juniores maxime, quae quinto anno postquam ex Italia rediit, Bruxella acciderunt. Cum enim illac Pellicanus, conventus gratia, qui Spirae tunc agebatur, iter haberet, ad Wolphgangum Capitonem divertit, qui tunc ejus loci regebat ecclesiam. Is Pellicanum, quem pridem familiariter noverat, seorsim ab aliis sciscitaturus aliquid, parumper abduxit ibique eum serio obtestatus est, suam sibi de sacramento corporis et sanguinis Christi dignaretur aperire sententiam. Pellicanus amico veteri tam enixe haec abs se flagitanti non gravate morem gessit. Exorsus autem a rei ipsius difficultate, haec, inquit, quaestio mi Wolphgange me quoque diu multumque exercuit, sed Dei gratia pulchre mihi satisfecisse videor. Ut verum tamen fatear nihilque te celem arcanorum meorum, transsubstantiationis commentum, quod nunc passim in ecclesia dominatur, nullam plane apud me fidem meretur, propterea quod cum prima coenae institutione minime convenit, cum omni denique sinceriori theologia ex diametro pugnet. Christus enim coram in mensa assidebat, nec cum suam quisque portionem carperet, de Christi carne et sanguine quicquam detractum est aut diminutum. Atqui haec non corporis oculis, dicat aliquis, sed spiritu et fide sunt dijudicanda. Sint sane, spiritualis tamen homo dijudicat omnia, et fides non statim quaelibet accipit indifferenter absurda, sed si quae humanae quidem rationi

repugnant, cum verbo Dei tamen recte consentiunt. Qui D. Augustini locum pro suo errore adducunt, quod scilicet Christus se ipsum in manibus suis gestarit, non animadvertunt, quod simul absurdis se ipsos constringant. Si quidem enim Christus verum et reale corpus suum, non potius symbolum corporis (quod Augustinus tamen sensit) in manibus gestavit, jam Christo affingunt duo simul corpora natura, proportione, dimensione longissime inter se mutuo distantia. Si vero, quod D. J. Chrysostomus sensit, Christus quoque de pane hoc symbolico comedit deque poculo bibit, jam suum quoque ipsius corpus in se ipsum recondidit. Si tam monstrosas metamorphoseis fingere licet, quo temeritas humana non prosiliet tandem? Eadem nimirum ratione tot animos Christo affinget quot corpora. Audivi, qui de corpore glorioso subtiliter admodum, ut ipsis quidem videbatur, mea vero sententia puerilitер satis et inepte multa disputarent. Quid enim attinet hoc loco de glorioso corpore disputare, cum postridie, quam coenam cum suis celebrasset, Christus in passibili suo corpore, quod pro nobis λῦτρον fecit, diros cruciatus tulerit. Quod si autem Christi corpus passibile simul et impassibile fuit, necesse est duas pugnantes qualitates, aut simul in eodem ut dicunt fuisse subjecto, aut permutatione quadam et alteratione sese mutuo subsequutas, aut certe singulis qualitatibus singulas fuisse substantias, aut quod aeque absurdum alterutram harum qualitatum fuisse absque substantiae. Intelligis Wolphgange quo mea nunc pergat oratio. Si duae diversae qualitates, passibilis et impassibilis inquam, in unius Christi corpore, connexione quadam inseparibili, coadunatae fuerunt, non intelligo, quomodo Dominus per omnia fratribus sit similis factus, sed nec satis assequor, quomodo alteram qualitatem absque altera suis dare potuerit. Quod si dicunt has duas qualitates pro arbitratu Christi, permutatione quadam sese mutuo subsequutas, ita ut liberum fuerit Christo modo hanc modo illam assumere aut deponere, haec quoque transsubstantiationis figmenta nihil omnino suffragantur. Constat enim Christi corpus eodem momento, quo panem et vinum inter suos distribueret, omnibus in mensa conspicuum fuisse ea dimensione et quantitate, qua primum accubuerat. Huic ego cogitationi, mi Capito, cum non nihil indulgerem, incredibile dictu est, quam variae sese animo meo ostenderint

imagines monstrosae omnes et valde absurdae. Scholasticis ergo sophismatis valere jussis, ad eam theologiam me contuli, quae sacris literis continetur aque purioris ecclesiae consensu non abhorret. Nec ideo de sacramento hoc perperam sentio. Sic enim judico, corpus et sanguinem Christi in sacramento hoc non quidem carnaliter aut realiter, ut nunc loquuntur (hoc est corporaliter) sed sacramentaliter, id est modo rationeque sacramentis usitato et familiari ahiberi credentibus. Habes Wolphgange meam de sacramento sententiam, quam precibus tuis tantopere a me contendisti. Ad haec Pellicani verba Capito mirifice affectus dicitur, adeo ut singularem prae se ferret voluptatem, quam non verbis tantum, sed vultus quoque figuratione non obscure declaravit. Maximo, dicebat, Pellicane me perfudisti gaudio, qui sententiae ejus, quam pridem veram deprehendi, premendam tamen occultandamque duxi, tantisper dum cum majore fructu foras aliquando emanaret, te socium et patronum cognoverim.